

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Primae criticae S. Vet. Test. Lineae**

**Brockmann, Georg**

**Gryphiae, [1780?]**

**VD18 12995509**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-15734**

33  
PRIMAE  
CRITICAE S.

Vet. Test.

LINEAE.

---

IN VSUM AUDITORUM DUXIT

D. GEORGIUS BROCKMAN.

---

---

GRYPHIAE,

LITTERIS ANT. FERDIN. RÖSE,  
REG. ACAD. TYPOGR.



te #13

B.I.G.

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



B. L.

**E**n! primas criticae S. V. T. lineas,  
rudi penicillo ductas, quas eo con-  
silio prelo commisi, vt, si forte inter no-  
stros sint, qui me duce haec studia prae-  
libare cupiant, in promptu sit ichnogra-  
phia, cui colores inducere possim. Te-  
nuitatem scripti ipsemet probe perspi-  
cio, vt Aristarchi non indigeam officio.  
Quodsi tamen plagulas has Commilito-  
num vsibus inferuire posse cognouerim,  
me consilii mei non poenitebit.

---

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is extremely faint and illegible due to the age and texture of the paper.



---

---

## PROLEGOMENA.

---

### §. 1.

**C**riticae S. V. T. nomine complectimur notitias, diiudicaturae, quae ab Auctoribus librorum V. T. profecta sint, quae minus, necessarias.

§. 2. Pars eius *therapeutica*, versatur in V. T. libris emendandis ac suae integritati restituendis et conseruandis.

§. 3. Cum fontibus religionis Christianae V. T. scripta annumeranda sint, et illa interpretaturus de textus sui integritate ac puritate certus esse debeat, haec autem sine notitiis criticis haberi nequeat certitudo; Criticae V. T. studium Theologo commendandum esse patet.

Opera sua abuteretur, quam spuris explicandis impenderet, interpretes.

---

§. 4. Ex illorum numero, qui scriptis suis eiusmodi notitias criticas, suppeditarunt, LUD. CAPELLUM; BRIAN. WALTONUM; HUMPH. HODII; RICHARD. SIMON; AUG. PFEIFFERUM; IO. LEUSDEN; IO. GOTTL. CARPZOVIVM; et IO. GOTTF. EICHHORN nominasse sufficiet.

§. 5. Nostra haec elementa generalia tantum I. de codice hebraeo V. T. II. de textu hebraeo et III. de Critica textus tractabunt; praetermissis illis, quae ad Crisin singulorum V. T. librorum pertinent.

---

CAP.

## CAP. I.

## DE CODICE HEBRAEO V. T.

## SECTIO I.

## Canon V. T.

## §. 6.

Quos codex hebraeus V. T. (מגלה, מקרא, עשרים וארבעה, מקדשיה) complectitur libri communi nomine *Canonici* dicuntur, quoniam ab antiqua ecclesia Iudaica et Christiana libris, diuino aflatu perscriptis annumerati, et pro certa fidei et morum norma (Gal. 6. 15. 16.) habiti sunt.

Scripta haec a IOSEPHO δικαιως θεως πεπιστευμενα citante EUSEBIO, ab ATHANASIO Κεκανονισμενα, πισευθεντα τε θεως ειναι βιβλια dicuntur. An alius Palaestinarum Iudaeorum, alius Hellenistarum Canon fuerit?

§. 7. Hi libri a diversis Auctoribus, diverso tempore ac loco, intra mille annorum

A 4

decur-

decursum scripti, singulatim custodiae Ecclesiae Iudaicae concrediti sunt: Successu autem temporis collecti, in vnum coaluerunt corpusculum, (quod Canonis constitutionem dicunt,) in tres partes תורה, נביאים et כתובים distinctum.

Antiquitatem Classificationis, Siracidis prologus, loca N. T. et *Iosephi* testantur.

§. 8. Quos autem libros codex hebraeus, ita dispersit, Christi ac Apostolorum temporibus comprehenderit, ex testimonio *Iosephi Lib. I. contra Appionem*, si cum Siracidis et N. T. libris conferatur, atque ex MELITONIS et ORIGENIS, quae apud EUSEBIUM H. E. *Lib. IV. c. 6. Lib. VI. c. 25.* exstant, recensionibus, addiscere licet.

§. 9. Cum non inde ab antiquissimis temporibus eadem Canonis facies fuerit (§. 7.) eius *historiam* tentare licebit, quae successuum eius ortum ac fata exponat.

§. 10. Iam ante Mosis tempora scripta in Canonem referenda exstitisse, indubiis euinci non potest argumentis. Antiquissima Canonis pars decem sunt praecepta, ab ipso Deo tabulis lapideis incisa (Exod. 34, 28. 29.)  
atque

atque in arcam testamenti reponenda. (Exod. 25, 16. cap. 40, 20. Deut. 10, 1. Quae posthac a Mose ex mandato diuino literis mandabantur leges diuinae, (Exod. 24, 4.) et populi sui gesta, (cap. 17, 14.) custodiae Sacerdotum ac Leuitarum concredita, (Deut. 17, 18. 19.) et ad latus arcae foederis asseruata fuisse, (Deut. 31, 24, 25. cf. 1. Reg. 8, 9.) credibile est. Haec autem Canonis initia (Ios. 1, 7. 8. 9. cap. 23, 6. cap. 8, 31) putanda sunt.

§. 11. Mosis exemplum sequebantur, qui ipsum excipiebant inspirati, scriptaque sua, quae Theocratiae statum publicum atque religionem concernebant, sacerdotibus, legis custodibus, (Mal. 2, 7.) tradebant, ut iuxta Mosis scripta reponerentur. (vid. Ios. 24, 26. 1 Sam. 10, 25. conf. IOSEPHI *Antiqv. Lib. V. cap. 1. it. VI. cap. 5.*) Hoc modo annales regum a Samuele, Nathane ac Gado conscripti, (1 Par. 30, 34.) ab Ahia et Ieddi, (2 Par. 9, 29) itemque Iehu (cap. 20, 34.) continuati, sacrario illati, ac ab Iehu collecti fuisse (2 Par. 20, 34.) videntur. A Davidis autem temporibus *Sopherim* describendis apographis inuigilare, et de iure respondere debuisse, vero simile est. (2 Par. 34, 13. 1 Par. 16, 24. cap. 27, 20.)

Priori loco IOSEPHUS de scriptis in *Iegw*; posteriori de in tabernaculo repositis loquitur. 2 *Par.* 20, 34. de Iehu perhibetur, quod fata Iosaphati literis mandauerit, quodque historiam regum Israelis digesserit.

§. 12. Prophetarum quoque, qui ante exsilium vixerunt, Vaticinia asseruata fuisse, ex 2 *Par.* 32, 32. IOSEPHI *Antiqu. Lib. XI. c. 1.*, Dan. 9, 2., Ier. 51, 64. constat. Exstabant etiam Canticorum Sacrorum, (*Pl.* 72, 19. 2 *Par.* 29, 30.) ac Poematum Salomonis (*Prov.* 25, 1.) collectiones, a viris, quibus Hiskias sacrorum emendationem iniunxerat (2. *Par.* 29, 1. s.) factae. *Prov.* 26, 1.

§. 13. Quae fata Autographorum fuerint, cum templum per chaldaeos vastaretur, incertum est. Remansisse autem librorum sacrorum apographa, ex 2 *Par.* 17. coll. *Deut.* 17, 18; Dan. 9, 2. *Neh.* 8, 1. tuto concludi potest. Haec post captiuitatem ab Esra et Nehemia, (*Esra.* 7, 5. 10.; 2 *Macc.* 2, 13.) atque Propheta Maleachi (cap. 4, 4. 5.) collecta, atque in corpus aliquod redacta putantur, posthac studio servata, (2. *Macc.* 2, 14. 15.) cum accesserint, quae a postremis viris sacris scripta erant.

§. 14.

§. 14. Esrae igitur et coaeuorum studiis canonem clausum esse, nec posthac nova illi addita supplementa, ob IOSEPHI testimonium (§. 8.) credimus. Quae autem de viris Synagogae Magnae, Esrae fociis, atque nova librorum sacrorum arca, ad Christi usque tempora residua, dicuntur, Iudaeorum somniis annumeramus.

Esrae coeuos fuisse Principes Serubabel et Nehemia, Prophetas Haggai et Sacharjah et Pontificem Iosua, ex *Esr.* 5. coll. *Hagg.* l. 2. constat; horumque studia in reparandis Iudaeorum rebus SIRACIDES *cap.* 49. laudat. Hinc Iudaeorum traditio de viris Synagogae magnae orta videtur.

## SECTIO II.

### *Lingua et Scriptura codicis originalis.*

§. 15. *Lingua V. T. originalis*, si paucas quasdam pericopas excipias, illa est, quae in Palaestina, ab occupatione terrae per Iosua, ad captiuitatem usque Babylonicam vsualis erat. *Hebraeam* dicunt, atque antiquitatem aliasque praerogatiuas illius laudant.

§. 16.

§. 16. Disputant autem de antiquo Hebraeorum *charactere* in Autographis adhibito. Alii enim pro hodierno quadrato; (chaldaico) Alii pro antiquissimo Phoenicio, (samaritano) pugnant. Neque Criticus hanc de lana caprina iudicabit quaestionem.

In diiudicando, vtrum lectio ex characterum similium permutatione oriri potuerit, momentum habere potest quaestio. Falleretur tamen, qui illam expediurus hodiernos literarum ductus comparare vellet.

§. 17. Agitatur etiam de *Vocalium* antiquitate controuersia, quae certo modo componi posse videtur, obseruando, non omnibus quidem vocalium signis antiquitus caruisse Hebraeorum scripturam; qualia autem fuerint, certo definiri non posse.

Antiquissima vocalium signa sic dictae matres lectionis fuisse videntur.

§. 18. Hodierna autem *accentuandi* ratio ita comparata est, vt in omnibus certe V. T. libris, ex vltima repeti nequeat antiquitate, atque cum veterum scribendi modo commode conciliari.

Probabilis illorum sententia est, qui primitus in metricis, posthac in profaïcis etiam, vt modulationis signa textui addita esse putant.

§. 19.

---

§. 19. Textus in Paraschas, Haphtharoth et capita *Sectiones* in Autographis non adhibitas esse, omnes largiuntur, licet de illarum antiquitate ac Auctore dissentiant. Vtrum in versus distinctio locum habuerit in Autographis, ex §. 18. diiudicandum.

---

CAP.

## CAP. II.

## DE TEXTU HEBRAEO V. T.

## SECTIO I.

*Historia textus.*

## §. 20.

**T**extum nostrum hebraeum ex librorum sacerorum exemplari, Esdrae cura transcripto et in templi bibliotheca reposito (§. 13.) fluxisse, facile concedimus. Si autem vel maxime largiri velimus Esdrinum exemplar autographorum lectionem exacte expressisse; fallerentur tamen, qui in huius apographis incorruptam lectionem ubiuis seruatum esse contenderent. Superfunt enim documenta, ex quibus colligere licet, temporis successu alia atque alia librarium menda in textum irrepsisse, in *historia textus* hebraei describenda.

§. 21. Quoniam aetas textus, quem *Pentateuchus Samaritanus* exhibet, incertus est, hunc documentis illis annumerare dubitamus. Tutius cum textu hodierno confer-  
tur

tur *רַוַּי* LXX. *versio graeca*. Hinc enim patebit, post Esdrae tempora sensim librariorum incuria, in optime quoque notae codicibus lectiones ortas esse, de quarum authenticia merito dubitatur.

Si indubiis euinci posset argumentis textum Pentateuchi Samaritani, textui Masorethico, quem cum Esdrino eundem putant, coaeuum esse, probaret, iam ante exilium babylonicum in apographis variasse lectiones. At rationibus huiusmodi destituimur. Ortum textus Sam. et LXX. nox premit, eruditorum hypothesebus nondum illustrata.

Vti autem collatio textus nostri cum Sam. et LXX. in locis *Exod. 12, 40; Leuit. 9, 21; Ier. 23, 33.* recentiorem eius corruptionem prodere videtur; ita tamen hac periodo vitiosas codicum jamjam ortas esse lectiones ex *2 Sam. 24, 13. coll.; 1 Par. 21, 12.; Deut. 10, 6. coll.; Num. 20, 22. c. 33, 38.* colligere licet.

§. 22. Ex citationibus N. T. et *Iosephi, Targumim, Versione Syriaca, Origenis Scriptis* ratio textus hebraei ad quartum vsque seculum colligi, multarumque lectionum hodierni textus origo detegi potest.

Declarantur haec locis *Ies. 42, 3. citat. Matth. 12, 20, Psalm. 16, 10 citat. Act. 2, 27.* De *Iosephi* lectionibus consule MICHAELIS *Or. Bibl.*

Bibl. P. V. VII. Ex Syri versione 2 *Par.* 22, 2. coll., 2 *Reg.* 8, 26. ex *Origenis Hexaplis Ios.* 21, 36 37. conferas velim.

§. 23. Ex quarto ad octavum vsque *Seculum Talmudistarum*, *Hieronimi* atque *Masorae* supersunt de hebraei textus ratione testimonia, omni attentione digna, cum hac periodo inter Iudaeos vixerint eruditi, pro conseruanda textus puritate vigilantes.

Huc faciunt Talmudis de *Tikkun Sopherim*, *Ittur Sopherim*, punctis extraordinariis, *Keri velo Cetibh*, testimonia, *HIERONYMI com. ad Ezech.* 45, 1, *Ier.* 51, 19. et *Masorae de Ps.* 55, 6, 2 *Sam.* 13, 18. etc. lectionibus obseruationes,

§. 24. Horum studia imitabantur *orientales* ac *occidentales*, ad decimum vsque *seculum*, quo variantium codicum lectiones per *ben Ascher* atque *ben Naphtali* collectae fuisse videntur, textuique, quae adhuc in *Manuscriptis* deprehenditur forma induta.

Variarum or. et occid. lectionum catalogum *BUXTORF* in *bibl. rabb.* exhibet, Variantes b. *Ascher* et b. *Naphtali*, *WALTON* in *Polygl. T. VI.*

§. 25. Posthac tamen a duodecimo *Seculo Iudaeorum doctores Msptorum* et *Masorae* obserua-

seruarunt differentias, ex collatione textus cum Targumim eiusque ad regulas grammaticas examine ortas. Ideoque librarii et correctores textum huius vel illius ex codicibus, qui correctissimi habebantur, exprimebant.

Codd Hillelianus, Babylonicus, Hierosolymitanus, Sinai, Ierichuntinus in Rabbinorum scriptis laudantur.

§. 26. Cum autem codex hebraeus inde ab anno 1482 typis exprimi coeptus est, editio illa, quae 1495 Bresciae prodiit, et post-hac illa, quam R. *Jacob. Ben. Chajim* in officina Bombergiana curauit, ex optimae notae Msptis fluxisse putabantur. Hinc ad illarum normam textus in recentioribus codicis editionibus ut plurimum efformabatur, donec recentiores quidam editores ~~superflites~~ *codices* Msptos consulendos duxerunt.

## S E C T I O II.

*Praesens textus hebraei ratio.*

§. 27. Qui *omnimodam* textus impressi *puritatem* defendere vellet, turpem ignorantiam illorum proderet, quae non satis laudando recentiorum Criticorum studio detecta sunt, atque commiserandus esset, si adhuc a priori

B

inco-

incorruptam textus conseruationem demon-  
strare tentaret.

Quicquid reuera in multis Msptis accidisse con-  
stat, id in Msptis, ex quibus textus Masore-  
thicus fluxit, euenire potuisse, quis negabit?

§. 28. Ne autem opinionis suae adver-  
sarios temeritatis, atque in sacras literas iniu-  
riae arguat, monendus est, vt *primo*, quae  
de aduersis codicis fatis, scriptura originali,  
atque textus historia §. 6—26. diximus, probe  
ponderet, expediturus quaestionem: Vtrum  
eadem textus lectio absque continuo miraculo  
seruari potuerit?

§. 29. *Deinde* antiquiorum inter Iu-  
daeos Criticorum circa genuinas textus lectio-  
nes dissensum, (§. 24.) atque illorum in eli-  
genda textus lectione admissa peccata secum  
reputet, cum intemerata lectionis conserua-  
tione non concilianda.

Peccatorum exempla dabunt *Levit. 9, 22, Ps. 16,*  
*10,* atque loca, quibus idem nomen proprium  
diuersimode scriptum est, v. g. *Gen. 10, 3.*  
*coll. 1 Par. 1. 6., 2 Sam. 8, 5. coll. 1 Par. 18, 3.*

§. 30. Comparet *porro* cum receptis,  
Manuscriptorum atque versionum antiquiorum  
lectiones, atque utriusque probitatem secun-  
dum regulas hermeneuticas examinet: Vi-  
deat.

deatque, quomodo lacunas, interpolationes, vitia scriptorum, in codice nostro obvia, cum opinione sua de omnimoda textus integritate ac puritate in concordiam redigere velit.

Lacunarum, *Ies.* 21, 15. interpolationum, *Pf.* 18, 14. coll. 2 *Sam.* 22, 14, vitiorum, 2 *Sam.* 21, 19. coll. 1 *Par.* 20, 5. exempla habes.

§. 31. Cogitet *denique* vtrum editoris, a quo, quem in impressis habemus textum accepimus, auctoritate tuto niti possit, cum dubia adhuc sit facultas eius critica, ac ne quidem ab omni suspitione suppressae verae lectionis liberari queat.

Confer, quae BOCHART *Hieroz. P. I p. 783.* de correctore officinae Bombergii refert.

### SECTIONO III.

#### *Fontes variarum lectionum.*

§. 32. Vt vitia, a quibus textus noster critices ope adhuc purgandus est, eo facilius detegi ac feliciter emendari possint, diversi *fontes* notandi sunt, vnde variantes lectiones ortum suum trahere potuerunt.

§. 33. Huc referenda est I. *Librarii oscitatio*. Si enim oculo saltem fugitivo exemplar transcribendum percurreret, vel ad pro-

nunicationem dicitantis aures non satis arrigeret, factum, ut aut figurae similis literas ac sono cognatas voces permutaret; aut dextre lecta et audita vitiose exprimeret, eligendo, omittendo, transponendo literas; aut alias voces repeteret, alias omitteret, et sic porro.

Ex hoc fonte Keri et Cetibh 2 Reg. 3, 24, 2 Sam. 13, 37. cap. 21, 19. lectionesque ו 2 Sam. 22, 2, et ו Ps. 28, 8. repeti possunt.

§. 34. II. Ex librariorum ignorantia, arrogantia et praepiudiciis deriuandum, quod cum obsoleta vocis forma consuetam; cum vocibus rarius occurrentibus sibi que obscuris, notiores; cum obscenis honestiores permutauerint.

Cogites hic legem Talmudis: Omnes voces, quae scriptae sunt in lege inhoneste, legant honeste.

§. 35. Alia vitia III. ex librariorum et correctorum legibus oriri potuerunt, quibus terminus, intra quem apographi reuisio absolueda esset, praefixus; rasurarum excusandarum numerus definitus; atque exacta archetypi expressio iniuncta erat.

§. 36. IV. Ex regulis etiam calligraphicis, quibus prohibebatur, ne liber legis  
abs-

absque regula describatur; nec literae cohaereant; nec carmen instar profae scribatur; neque spatium vacuum in linea relinquatur, coniectura assequi licet, quotuplici modo librarius errare atque textum vitare potuerit.

§. 37. Multa denique vitia ex imperita diuulsione vocum, continua serie scriptarum, notis margini adscriptis, numerorum notis, et abbreviaturis perperam lectis, literis edacitate temporum deletis aut admodum minutis deriuari possunt.

Sic lectiones *Ier. 23, 33. 1 Par. 2, 49. 2 Par. 22, 2.* ortae sunt.

---

## C A P. III.

### CRITICA TEXTUS HEBRAEI.

---

#### S E C T I O I.

##### *S u b s i d i a c r i t i c a.*

§. 38.

Quamuis, quem in impressis codicibus hebraeis habemus, textus varii generis vitiis abundet, (Cap. II. Sect. II. & III.) prouida tamen Dei cura factum est, vt supersint media,

B 3

quo-

quorum adminiculo menda corrigi, atque genuinae textus lectiones restitui possunt. De his *subsidiis* Critica textus sigillatim exponit, illorumque sobrium usum docet.

§. 39. Inter eiusmodi subsidia principatum tenet collatio locorum *parallelorum*, h. e. corrigendo, aut qua vocabula, aut qua argumentum suum similia. Caueat autem Criticus, ne diuersas eiusdem pensi recensiones, cum parallelis confundat; nec idem argumentum iisdem prorsus vocabulis, eodem ordine, eademque amplitudine explicandum fuisse, somniat; nec tandem orthographiae ac formae grammaticae in diuersae aetatis libris differentias, vitiorum loco habeat.

Confer. 1. *Par. II*, 11. f. c. 2 *Sam.* 23, 8 — 13.  
2. *Par.* 22, 2. c. 2 *Reg.* 8, 26.

§. 40. Qui *codicis hebraeo-Samaritani* textum ex exemplari, *Esdri*no coeuo fluxisse statunt, ~~proximum ipsi~~ dabunt inter subsidia critica locum, procul dubio ipsi concedendum, si ab omni refictionis ad hebraeum exemplar, aut *LXX.* suspicione liberari posset. (§. 21. not.)

*Pentateuchus Samar.* vsque annum 1616 ex Patrum tantum citationibus notus erat. Samaritani gloriantur quidem, adseruari adhuc illius codicem, 13. anno habitationis *Cuthaeorum*

orum in Palaestina scriptum, ex quo occidentalibus communicata Apographa fluxisse, (quo iure incertum) putantur. Quoniam tamen illud exemplar nullius eruditorum oculis lustrari, ideoque apographorum cum prototypo collatio hucusque institui non potuit, dubia adhuc apographorum, in Polyglottis expressorum est auctoritas.

§. 41. Inter *versiones antiquas*, ex textu originali factas, graecae τῶν LXX., AQUILAE, SYMMACHI et THEODOTIONIS; *chaldaicae* ONKELOS et IONATHANIS Paraphrases; *Syriaca*, Peschito dicta, atque *latina* HIERONYMI eminent, et adminicula Critico suppeditant, a recentius ex aliis versionibus adornatis et interpolatis non aequo certo expectanda.

§. 42. Veterum de origine *versionis* τῶν LXX. narrationes fabulis refertas esse, nemo eruditorum dubitat. Vero proxima esse videtur, illorum sententia, qui a Iudaeis Alexandrinis elaboratam Pentateuchi versionem, tempore Ptolomaei Philadelphi, ad exemplar hebraeum, e Palaestina petatum, a Synedrii Aegyptiaci assessoribus, reuisam atque probatam esse, statuunt. Huic cum posthac a diuersis diuerso tempore factae reliquorum codicis librorum versiones iungerentur, haec, ab Alexandrinis recepta versio graeca communi τῶν LXX. nomine appellari coepit.

Antiquissima natalium huius versionis historia, quae IOSEPHO et PHILONI debetur, a IUSTINO MART. et EPIPHANIO diuersimode comta, dudum eruditorum fidem perdidit. vid. HUMPH. HODII *Dissert. contra Hist. Aristae.*

§. 43. Tanta huius versionis apud Iudaeos, ante Christum natum erat auctoritas, ut etiam ex inspiratione illam profectam esse crederent. Eam tamen, Apostolorum primorumque ecclesiae Christianae doctorum temporibus adhuc seruatum, apud Iudaeos perdidit, cum Christianorum magis, quam suae causae fauere videbatur.

Quem locum primis a N. C. seculis apud Iudaeos tenuerit, IOSEPHI, IUSTINI M. et TERTULLIANI loca loquuntur, recentioribus Talmudistarum dictis non confutanda.

§. 44. Magno autem criticae S. damno versionis huius textus, inde a prima sua aetate, librariorum ac criticastrorum maxime culpa, vitiis laborat, a quibus neque Veterum recensionibus, neque recentiorum editionibus purgari adhuc potuit.

Neque ORIGENIS *Hexaplis*, neque LUCIANI, HESYCHII, BASILII *recensionibus* huius versionis textus purus seruari potuit. Impressae eius editiones quaedam codicis Alexandrini, quaedam Vaticani lectiones exprimunt.

§. 45.

§. 45. Reliquarum versionum graecarum historia ac textus admodum incertus est, AQUILAE, Pontici, Hadriano imperante: THEODOTIONIS, Ephesii, temporibus Commodi: SYMMACHI, Samaritani, Seueri sub imperio factae creduntur. Superfunt saltem illarum fragmenta.

Versionum harum fragmenta FLAMINIUS NOBILIS, DRUSIUS, MONTEAUCON collegerunt.

§. 46. Versionum *chaldaicarum* prae-  
cipuae sunt: Targum ONKELOS in Pentateuchum, et IONATHANIS BEN UZIEL in Prophe-  
tas. Reliquae, PSEUDO - IONATHAN et HIE-  
ROSOLYMITANA in Pentateuchum; IOSEPHI  
LUSCI in Hagiographa; incertorum Auctorum  
in V. Megilloth, Esther et Chronicorum libros,  
neque aetate sua, neque auctoritate illis pa-  
res sunt.

§. 47. *Syriacorum* versionum antiquis-  
sima, ad textum originalem facta, *Peschito*  
(simplex) ad differentiam *figuratae* dicta, hanc  
et aetate et auctoritate antecellit.

Sunt, qui simplicem Salomonis et Hiramii tem-  
pore, sunt, qui ab ASSA sacerdote Samari-  
am misso, (2 Reg. 17.) sunt denique qui die-  
bus Abgari elaboratam esse statuunt. Figu-  
ratam IACOBUS EDESSEUS a 704. reui-  
disse putatur.

B 5

§. 48.

§. 48. Ea tandem versio *latina*, quam HIERONYMUS ex textu hebraeo adornauit, (quam vulgatam esse perperam asserunt,) non contemnendos Critico praestaret vsus, si integritati suae restitui posset.

Vulgatae textus, quem concilium Trident. pro authentico declarauit, ex diuersis antiquis versionibus latinis mixtus est.

§. 49. Quamuis autem harum, (ac aliarum forte) versionum testimonia in restituenda genuina textus lectione vsui esse possint; certis tamen *cautionibus* textum ex illis mutandi pruritus coercendum esse, a §. 41. dicta docebunt.

Exemplis, ex *Pf. II, I. 28, II. petitis* versionum vsus illustrabitur.

§. 50. Monendum scilicet est. 1) Interpretis periphrasin variae lectionis suspicionem mouere non posse; neque 2) ab inusitata vocis explicatione, ad aliam interpretis lectionem tuto concludi; nec 3) interpretis lectiones vbiuis coniecturando assequi.

§. 51. Praeterea Criticus caueat, 4) ne lectionem ex versione, vel male intellecta ortam pro varia textus originalis habeat; aut 5) corruptam interpretis lectionem sequatur, textum emendaturus; aut 6) interpreti tribuat,  
versio-

versioni eius interpolata; aut 7) apertis illorum vitiis in venandis variis lectionibus abutatur.

§. 52. Versionibus utiliter iunguntur textus *citationes*, quae in N. T. IOSEPHO, Talmude, Rabbinorum ac Patrum scriptis occurrunt. Licet enim plerumque scriptores N. T. ac IOSEPHUS V. T. dicta ex versione LXX. citauerint; antiquis autem lectionibus Talmudicis et Rabbinorum in impressis codicibus lectiones textus Masorethici saepius substitutae sint; Patres denique communissime versiones sequantur; passim tamen genuinam lectionem, aliunde cognitam, testimonio suo comprobare possunt.

Citationes N. T. quae textum originale non sequuntur, ad minimum LXX. lectiones confirmare possunt.

§. 53. Codicibus *Mssptis* atque antiquioribus *editionibus* non vltimum locum daremus, si modo prototyporum, ex quibus fluxerunt aetas certo definiri posset. Quoties tamen Versionum lectiones confirmant, toties Ante-Masorethicarum lectionum testes esse possunt.

Notitiam Mssptorum et editionum dabunt WOLFFII *Bibl. hebr.* et MASCHII *editio Biblioth. S. LONGII.*

SECTIO

## S E C T I O II.

*Lectionum variantium collectiones.*

§. 54. Postquam praeiudicata Veterum, de incorrupta textus lectione opinio, Theologorum animis excussa est, manifesta vitiorum textus indicia, et codicum dissensum, religioni tamen innoxium, ostendendo, grati Criticorum in colligendis variis lectionibus studium aestimabunt, quibus versionum ac codicum usus denegatus est.

§. 55. In observandis autem variis codicum lectionibus *Masoretharum, Orientalium ac Occidentalium, b. Ascher et b. Naphali* laudandam sedulitatem aemulati sunt recentiores Iudaeorum Critici TODROSIUS, LONZANUS, NORZIUS, loco, quem apud suos obtinuerunt, non indigni.

§. 56. Horum tamen studia longe superavit Christianorum diligentia, quibus Bibliorum editiones cum variis lectionibus debemus, et inter quos eminent IO. HENR. MICHAELIS, CARL FRANC. HOUBIGANT, et BENJ. KENNICOT.

§. 57. Palmam illis fere dubiam reddidit IO. BERN. DE ROSSI variis lectionibus V. T. absque textu editis. Debita tamen laude sua  
non

non priuandi, qui aut Veterum interpretum, aut Msptorum, aut antiquiorum editionum, aut Talmudis et Rabbinorum lectiones separatim collegerunt.

§. 58. Ingens quidem est variantium, hucusque collectorum numerus, non tamen dubium est, quin adhuc augeri possit. In votis autem illud magis est, vt ex omni hoc apparatu lectiones, quae V. T. interpretationem faciliare possunt, prudentis Critici studio excerpantur.

### SECTIO III.

#### *Regulae Criticae.*

§. 59. Cum in diuersis textus exemplaribus magna lectionum obseruetur diuersitas, nec quaenam ex illis genuina sit, textum cum Auctorum autographis conferendo inuestigari possit, aliunde petitis rationibus, ad regulas Criticas examinandis, reliquis praeferenda lectio definienda est.

§. 60. In inuestiganda autem et eligenda genuina lectione, Critici iudicium *testimoniis* potissimum et *aequitate* regitur. Illa aut in ipsis textus codicibus exhibentur, aut ex versionibus et citationibus colliguntur: Haec lectionem

nem

nem perfectionibus Auctoris, qua talis, maxime conuenientem praefendam suadet. Testimoniorum consensu lectionis *Auctoritas*: conuenientia lectionis cum perfectionibus Auctoris illius *probitas* nititur.

§. 61. Cum, quem in codicibus impressis habemus, textus ex probae notae Msptis fluxerit, (§. 26.) corrigendi pruritus proderet, qui eius lectiones, *probitate* non destitutas, sine graui ratione deserere, et pro mendosa habere vellet.

Quamuis enim codices impressi textum Masoreticum seruant, lectiones tamen inde a Sec. XII probatas exhibent

Criticorum regula: Lectionem rariorem usitati praefendam esse, fallere potest.

§. 62. Quodsi autem lectionem textus mendosam esse satis manifeste constet, de eius *emendatione* ex fontibus *Sept. I.* huius capituli indicatis, cogitandum est, ita tamen, ut in illorum usu, quam inculcavimus circumspectionem adhibeamus.

§. 63. Quo antiquiores, puriores, accuratiorum, plures, codices, versiones, citationes, lectioni testimonium perhibent, eo *maior* illius est auctoritas. (§. 60.)

§. 64. Quodsi autem inter hos testes non conueniat, caetera vero omnia paria sint, testi-

testimonium codicis versioni, versionis citationi, praeferendum est. Plurium tamen versionum atque citationum consensus, codicum auctoritatem; plurium citationum conuenientia versionum auctoritatem minuere potest, si saltem testes debito modo numerentur.

Caetera paria sunt, si codices, versiones, citationes, studio ex textu originali factae, nec interpolatae aut correctae sunt.

§. 65. Ex pluribus autem lectionibus variantibus, *aequalis auctoritatis*, illa praeferenda est, ex qua mendosam textus lectionem facillime nasci potuisse, *Cap. II. Sect. III.* ostendit.

Conf. CLERICI *ars Critic. P. III. Sect. I. c. XVII. §. 21. 25.*

§. 66. Criticus tamen, textum emendaturus probiori illius lectioni, aliam, solis testimoniis nixam, praeferre dubitabit.

Hanc ob causam lectionem ויקרא Exod. 2, 22. cum DE ROSSI in ויקרא mutare dubitarem.

#### SECTIO IV.

##### *Critica coniecturalis.*

§. 67. Si quis lectionem auctoritate nulla munitam, probabiliter tamen genuinam, atque in receptae locum substituendam iudicat,

*Con-*

*Coniectura critica* utitur. Huiusmodi lectiones coniecturales temere quidem non in textum admittendae sunt, modeste tamen ab artis criticae peritis proponi possunt.

Lectiones coniecturales (סבירין) KENNICOTI codices confirmarunt.

§. 68. Rationes autem *probabiles*, quae textus lectionem suspectam reddere possunt, ex defectu probitatis illius desumendae sunt; qui tamen verus et apparens, maior et minor esse potest. Hinc graduum probabilitatis ponderatio Critico commendanda.

Apparentis probitatis defectus exempla, Ps. 8, 2. 110, 3. Ios. 24, 19. suppeditant.

§. 69. Lectioni coniecturali, praeter probitatem suam, probabilitatem conciliabunt, detecta natalium suspectae vestigia. conf. *Cap. II. Sect. III.*

Exempli loco sint lectiones, quas 1 Sam. 6, 19. receptae substituendas iudicant.

§. 70. *Facultatem criticam* sibi acquiraturus, solida linguae hebraeae atque cognatarum scientia, et necessariis criticis notitiis praeparatus, stylum auctoris sui familiarem sibi reddat, atque aliorum iudicia ad praecepta Critica examinando prius se exerceat, quam ipse aliquid moliatur. Ita paullatim bene iudicandi facultas ipsi veniet.